

I. N. I.  
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MOTVS CORPORIS  
HVMANI NATVRA,  
VSU ET ABVSV,**

RECTORE *MAGNIFICENTISSIMO*  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO,**  
DUCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ, WESTPHALIÆ, & reliqua,  
CONSENSV ET AVTORITATE  
GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN INCLVTA  
ACADEMIA SALANA,

PRÆSIDE  
**IOANNE ADOLPHO WEDELIO,**  
PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE, PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, MED. PROV. SAXO VINAR.  
AC CIVITATIS IENENSIS PHYSICO,

*Patrono, Preceptore, ac Promotore suo Patris loco sancte colendo*

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, LEGITIME  
CONSEQVENDI,

*publico eruditorum examini exposita*

*Dr. A. Küttw.*

**O. CHRISTOPHORO SIEGFrido, Bercka-Thuringo,**

*IN AUDITORIO MAIORI,*

Horis ante & post meridiem consuetis,

Ad D. FEBRVAR. M DCC XV.

*IENÆ LITTERIS KREBSIANIS.*

*433.*

**SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
IOANNI GUILIELMO,  
DUCI SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE,  
MONTIVM, ANGARIAE ET UVESTPHALIAE, LAND-  
GRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE,  
PRINCIPI COMITI HENNEBERGIAE, COMITI MAR-  
CÆ ET RAVENSBERGAE, SAYNAE ET UVITT-  
GENSTEINII, DYNASTÆ RA-  
VENSTEINII. &c. &c.**


**PRINCIPI AC DOMINO SVO CLE-  
MENTISSIMO**

**HANC INAVGVRALEM DISSERTATIONEM**

**HVMILLIMA DEVOTIONE**

*Consecrat  
Subiectissimus Servus*

**IO. CHRISTOPHORVS  
SIEGFRID.**



I. N. I.

## PROOEMIUM.



Uod alias de fortuna dici consuevit;  
fabrum quemque esse fortunæ suæ,  
longe magis de valetudine valer,  
cum sui cuique mores fingant va-  
letudinem.

Quamquam enim quidam reperiantur morbi,  
qui casui debentur fortuito, plerique tamen ita com-  
parati sunt, ut minime, nisi inuitati, accedant.

Inuitantur in primis desidia & luxuria, hinc &  
reliquis, quæ rerum, Medicis non naturalium di-  
starum, abusum coniunctum habent, & sic corpo-  
rum humanorum robora debilitare apta sunt.

In his eo magis peccare solent, quo minus sta-  
tim effectus læsionis manifestus se exerit, putantes,  
nullum adferre damnum sanitati posse, quod, ali-  
quoties etiam commisum, nullum noxæ reliquerit  
vestigium.

A 2

Vt

Vt autem hi nimis sero opinionis suæ pœnas dare coguntur, morbis tarditatem grauitate compensantibns; ita mediocritatem in omnibus, quæ quoddam in sanitatem ius habent, obseruantes a morbis tutiores sunt, saltim in eosdem non sua culpa incidunt.

Totum hinc negotium in rerum non naturalium usu & abusu consistit, quas singulas iam considerare, non quidem inutile, sed tamen præter instituti nostri effet rationem. Motum itaque tantum selegimus, cuius naturam, usum & abusum specimen in inauguralis loco explicare conabimur. Fauxit Deus ter optimus, ter maximus, vt feliciter eueniat.

## CAPVT I.

DE

*Natura Motus Corporis Humani.*

On opus est, vt generatim iam de motu agamus, cuius doctrina aliunde repeti debet, sed circa corpus humanum occupati de huius tantum motu erimus solliciti.

Motus hic aliis vocatur *exercitatio* communiter accepta, proprie enim vocata exercitatio speciem tantum certam huius motus designat. *Hippocrates lib. II. de Diæt. Cap. XXXIX. & seq.* motus hosce πόνων laborum nomine insigniuit. Quo autem natura huius motus satis cognita redatur, eius primo definitionem, deinde causas, postmodum differentias, & tandem effectus considerabimus.

De-

Definiri potest hic motus, quem tractandum suscepimus, quod sit agitatio voluntaria corporis humani, vel totius, vel partium eiusdem, siue ab intrinseco siue extrinseco principio dependens, ad sanitatem vel conseruandam, vel restaurandam, vel laxandam faciens.

Agitationem voluntariam diximus, ut sic excludatur motus naturalis, vitalis & præternaturalis, qui insciis & intuitis etiam hominibus fiunt, & ad nos iam non pertinent. Quanquam vero agitationi voluntariæ minus accenserit debere videatur ille motus, qui ab externo principio motus dependet, ut equitatio, attamen, cum hic motus equi ab equitantis arbitrio & instituatur & dirigatur, itidem suo modo voluntarius dici potest, ut & alii motus huius generis, ut Hieron. Mercurialis de Art. Gymnast. Lib. II. Cap. I. ostendit.

Subiectum huius motus est corpus humanum, & vel ratione totius vel eius partium. Non solum enim totum corpus ad nutum nostrum mouetur, sed & partes seorsim agitantur, quam in rem decenter conformatae & sibi conexæ sunt, vti artus, dorsum, caput, thorax &c. Non autem tantum partes hæ solidæ motum voluntarium sustinent, sed etiam spirituosa, quas hinc merito cum Hippocrate pro subiecto huius motus simul habemus. Hæ enim solæ mouentur, si μεριμνη πόνος curarum labor adfit, ne de visus & auditus labore, ab eodem supra dicto loco commemorato, dicamus.

Efficiens causa vel intrinseca est, vel extrinseca. Intrinseca, tum totum corpus, tum partes mouens, sunt musculi, qui annexi partibus mobilibus si contrahantur, illas in motum citant. Contractio autem muscularum, vt ex physiologia constat, partim a sanguinis accessu debito per arterias, partim a spirituum animalium per nervos affluxu, prouenit. Illius enim, & que ac horum, absentia immobilitatem post se trahit, quod ligatura rite instituta probat. Quod si enim arteria ad musculum abiens constringatur,

vt sanguini aditus ad musculum hunc denegetur, motus eiusdem perit, vt & vita simul. Nervus ligato, motus itidem lassus & abolitus videtur, vitam tamen adhuc retinet. Cumque sanguinis motus, quia vitam simul conseruare debet, perpetuus fit, spirituum autem affluxus tantus, quantus ad contractionem musculi est necessarius, tunc demum, contingat, quando ab anima illuc determinatur, vt actu contractionem efficiat, huic primario motus muscularum tribuitur. Anima vero spirituum hunc motum praestans, determinans & dirigens, primum mouens in corpore humano existit, vt sic non solum cogitandi & cognoscendi, sed etiam mouendi vim a Sapientissimo Creatore acceperit.

Extrinsica causa mouens, quæ eligente vel consentiente homine moto id praestat, est vel alius homo, vel quilibet motum talis aptum praebentia, tam viuentia, quam inanimata, prout in gestatione in lectica, equitatione & navigatione videmus.

Nec finis huius motus indicatus abire debet, qui ad nostram tractationem pertinet, licet ab iis, qui ita mouentur, raro attendatur. Quanquam enim varii fines sint, quorum gratia singuli hi motus suscipiuntur, a nobis tamen, cum a foro nostro alieni sint, minus considerabuntur. Sanitas igitur ut in tota medicina ita & hic finem constituit, vnic. Huius enim causa motuum horum consideratio instituta est, vt legitimo eorum usu conseruetur & restituatur, abusus vero, ad destruendam eam faciens, vitetur.

Sufficere haec de causis huius motus allata ad nostrum propositum possunt, hinc ad differentias eiusdem accedimus. Commodo ab Hippocrate c. l. distinguuntur hi motus, seu, vt ab eo vocantur, labores, in naturales & violentos. Naturales vocat visus laborem, auditus, vocis, curiarum. Deambulationes itidem ad naturales refert Cap. XL. habere tamen aliquid violenti, addit. Reliquos vero, vt cursus aliaque exercitia, inter violentos numerat. Hanc Hip-

po-

DE MOTVS CORPORIS HUMANI NATVRA VSV ET ABVSV 7  
pocnitis diuisionem vt melius intelligere queamus, vtile est,  
motus huius differentias omnes considerare, quæ desu-  
muntur vel a genere, vel a subiecto, vel a causa efficiente,  
vel a causa finali, vel ab accidentibus. A genere desumptæ  
differentiæ respiciunt eius vel quantitatem, vel qualitatem.  
Quantitatem quæ respiciunt, continent sub se motum  
simplicem & compositum. Motus simplicis quantitas con-  
sideratur vel in se, vel ratione durationis. In se spectata  
quantitas præbet motum vel *magnum*, qui molem maiorem  
superare valet, vel *paruum*, qui exiguo tantum ponderi suf-  
ficit, vel *mediocrem*, qui medio modo se habet.

Ratione durationis motus hic differt, prout hæc vel  
absoluta vel respectiva est. Absolutæ durationis respectu  
alius est vel *continuus*, qui sine intermissione durat, & ite-  
rum vel *longus*, vel *brevis*, existit: vel *intermissus*, qui inter-  
posita quiete fit, & vel *ordinatus*, vbi interualla æqualia in-  
tercedunt, vel *inordinatus*, vbi hæc sine ordine interponun-  
tur, deprehenditur.

Respectiva duratio intuitu spati, quod interim mo-  
tus percurrit, ita dicitur. Quod si hinc breui tempore  
multum spatiū, vel exiguum sèpius, absolutur, motus  
*celer* vocatur; si multo tempore breue spatiū metitur,  
motus *tardus* dici solet; si mediocri tempore mediocre spa-  
tiū teritur, *mediocris* est. Compositus motus est, si dictæ  
differentiæ diuersarum classium coniungantur, ex quibus  
quidam peculiarem denominationem acquirunt. Sic mo-  
tus *magnus* & *celer* vocatur *vehemens*; *magnus* & *tardus*,  
*valens*; *parvus* & *celer*, *remissus*; *parvus* & *tardus*, *debilis*,  
*imbecillus* appellatur. *Mediocris* compositus, qui ratione tam  
magnitudinis, quam durationis, talis est, *medius* vel *mediocritas*  
dicitur. Sic etiam *vehemens* potest esse vel *conti-  
nuus*, vel *longus*, vel *brevis*, vel *intermissus*, & sic porro, quod  
& de reliquis valet, quæ omnia adducere, superfluum foret.

Qualitatis ratione motus aliis est *æqualis*, aliis *in aqua-  
tie*

*lis.* **E**qualis est, qui ratione magnitudinis & durationis idem permanet. Inæqualis autem, qui modo magnus, modo parvus; modo continuus, modo intermissus; modo vehemens, modo debilis est, vel alia ratione mutationem subit.

**A** subiecto motus corporis differentias non paucas acquirit, dum vel partes tantum, vel totum corpus mouetur. Ex partibus huc etiam spectare spiritus, superius fuit tandem, qui etiam soli mouentur in curarum, visus, & auditus labore. Ad curarum labores referri suo modo possunt ipsæ meditationes, quibus itidem spiritus soli mouentur. Ex partibus solidis modo plures, modo pauciores, coniunctim vel seorsim mouentur, vt manus in pluribus laboribus & exercitationibus, thorax, in vocis labore, vt *Hippocrates c. l. vocat*, sermone, lectione, cantu; pedes, si erectum corpus stet, vt & in deambulationibus &c: Sic & totum corpus mouetur in paruæ pilæ lusu, venatione, cursu, & similibus.

**C**ausæ efficientis ratione motus hominum sunt vel a se ipsis facti solum, vel ab aliis. Tales motus ab interno principio dependentes sunt saltatio, ambulatio, cursus, ludita, exercitia mechanica, opera &c: Ab aliis facti motus sunt agitatio, frictio, gestatio, equitatio, nauigatio, & similes alii.

**F**inis respectu motus hi sunt vel exercitationes proprie diætæ, vel communiter ita vocatae. Exercitatio propria iuxta *Hier. Mercuriale. Lib. II. Cap. I.* est motus corporis humani vehemens, voluntarius, cum anhelitu alterato vel sanitatis tuendæ, vel habitus boni comparandi gratia factus. Exercitationes vero communiter diætæ sunt omnes reliquæ, quæ vel ad valetudinem, vel ad bonum habitum conferre possunt, siue vehementes sint, siue minus, licet etiam anhelitum non ita notabiliter alrerent.

Exercitationes eiusmodi veteribus usitatæ fatis eleganter ab *Hier. Mercuriali. Libr. de Arte Gymnastica*, vt & a *Quer-*  
*etano*

DE MOTVS CORPORIS HVMANI NATVRA, VSV ET ABVSV. 9  
*cerano Sct. II. Cap. XI. Diætet. Polybistoric.* recensentur & ex-  
plicantur. Diuiduntur exercitationes a Mercuriali in eas,  
vbi motus hominum vel a se ipsis fiunt vel ab aliis. Ad  
illas pertinent primo saltatoria, quæ vel cubistica, vel sphæ-  
ristica, vel saltatio simpliciter erat; deinde palæstrica, quæ  
luctam, cursum, saltum, disci iactum, sagittationem sub se  
continebat; tandem exercitationes communes, vt ambu-  
latio, erectum stare, pugnæ, per funem adscendere, spiri-  
tus cohibitio, vociferatio, risus &c: Ad exercitationes,  
in quibus motus hominum ab aliis fit, refert equitationem,  
vectationem currulem, gestationem in lectica & sella, a-  
gitationem per lectos pensiles, per cuneas, per scimpodium,  
nauigationem &c. De quibus singulis pluribus videri potest.

Porro ex exercitiis communiter vocatis quædam simul o-  
pera dicuntur, quæ relinquunt opus quoddam, cuius gra-  
tia fiunt, vt aratio, fossio, vt & quæ ab opificibus manu-  
um alioque labore perficiuntur. Et, cum omnino nullus  
motus corporis reperiatur, qui non aliquam in valetudinem  
vim habeat, quounque demum alias fine suscipiatur.  
neutquam ullus excludi potest, qui huius intuitu non ad  
medicum pertineat forum. Vti & ipsæ exercitationes pro-  
prie dictæ minime semper vnice valetudinis tuendæ gratia  
susceptæ sunt, vel suscipiuntur hodie, sed haud raro volu-  
ptatis, ambitionis, vel alijs rei causa tractantur, quod vel so-  
lius venationis exemplo, quæ tantopere ab omnibus lau-  
datur, patere potest.

Sequimur in his ipsum Hippocratem qui *L. III. de Die-*  
*ta Cap. II.* labores necessarios, profectiones necessarias, o-  
peraque marina ad vitam degendam reperta eodem modo  
considerat, & omnes hosce motus laborum nomine alias  
comprehendit. Medicus enim non tam intentionem eius,  
qui motu tali vtitur, considerat, vel inquirit, sed quid  
labor talis præstare queat in sanitate conseruanda, vel læ-  
den-

Ab accidentibus etiam motus corporis quandam differen-  
tiam fortiuntur, vt ratione loci peraguntur in loco vel æqua-  
li vel inæquali, libero vel concluso, lucido vel opaco, cali-  
do vel frigido, humido vel sicco. Et similes aliæ conditiones  
reperiuntur haud paucæ, ex quibus, quæ nobis utilitatem  
quandam in hac consideratione præbere videbuntur, in-  
ferius recensebimus.

Restat ad naturam huius motus intelligendam eius-  
dem effectus considerandus, quem in corpore humano e-  
dere solet, quo cognito facilius & certius eiusdem usum  
& abusum determinare licet. Non autem quilibet effectus  
huc pertinet, sed is tantum, qui, a motu hoc dependens,  
in partibus spirituosis, fluidis, & solidis se exerit. Cum  
enim, hæ prout constitutionem vel naturalem vel præterna-  
turalem obtinent, tam sanitatis, quam morborum subiecta  
sint, status earum a motu inductus vel integritatem, vel  
læsionem, sanitatis efficit.

Quod si ergo a causa interna motus corporis fiat, per  
superius dicta vel spiritus tantum, vel partes quædam soli-  
dæ, vel totum corpus mouetur. Si spiritus tantum mo-  
uentur, vt in curarum labore & meditationibus profundi-  
oribus, calefcunt, difflantur & lympham subtiliorem ab-  
sumunt. Sin autem vel totum corpus, vel partes eius-  
dem mediantibus musculis moueantur, non solum spiritus,  
sed etiam humores partesque solidæ inde afficiuntur. Cum  
enim muscularum contractio nunquam, nisi spiritus copi-  
osiores per nervos accedant, fiat, horum motus simul au-  
getur, vt itidem calefcant, rarefiant & difflentur.

Porro per contractionem muscularum his intertexta  
vasa sanguifera & lymphatica, & vna humores in eis con-  
tent, premuntur. Omne vero fluidum pressum vrgetur ver-  
sus

DE MOTVS CORPORIS HUMANI NATVRA, VSV ET ABVSU. n  
sus illam loci differentiam, vbi nulla vel minor est resisten-  
tia. Hinc in vasis dictis ob valvulas, motum humorum,  
determinantes & dirigentes, per eandem viam, quam in  
circulatione habent, sanguis & lympha propelluntur. Iun-  
cta autem impulsui cordis contractione & pressione mu-  
scorum necessario velocitas humorum augetur. Hac au-  
cta etiam motus intestinus incrementum capit, adeoque &  
calor sanguinis fit maior, quo praesente rarefactio & attenu-  
atio eiusdem consequitur. His vero euidentibus & spi-  
ritus vitales copiosiores ex sanguine producuntur, & se-  
cretiones & excretiones, in primis transpiratio, augentur,  
vnde tam serum quam huic immersa minuuntur.

Non autem tantum a pressione vasorum, a musculis  
immediate facta, motus humorum promouetur, sed etiam  
cauitatibus inclusa viscera, parietibus se fortius & saepius  
constringentibus, comprimuntur, vt humores in iis con-  
tentи promoueantur, quod in thoracis & abdominis caui-  
tate fit. Imo corporis diuersus situs in laboribus factus, &  
concussio in quibusdam motibus simile quid efficere valet.

Dum autem musculi contrahuntur, fibræ eorundem  
una tenduntur, adeoque pori & meatus aperiuntur, vt hu-  
moribus & spiritibus liberior aditus concedatur. Pressio eti-  
am parietum cauitatum, blandior vel maior, in visceribus  
inclusis fibrillarum tensionem præstat, quæ ipsa etiam in  
parietibus, in primis abdominis, se exerit. Sic & situs cor-  
poris & concussio, in motu facta, tensionem variam indu-  
cit partim fibrillis seu ligamentis viscera reliquis partibus  
connectentibus, partim parietibus continentibus. Sic in-  
testina abdominis partes anteriores & inferiores in situ cor-  
poris erecto magis tendunt, uti & in saltu motus eorum  
deorsum versus continuatus impetum maiorem in perito-  
næum facit.

Hæc fieri solent, si ab interno principio fiat motus, ab

B 2

ex

externa autem causa si corpori concilietur, in quibusdam quædam differentia occurrit. Effectus enim hic vel a pressione externa, vel situ mutato, vel concussione dependet. Pressio externa fit, si vel situ corporis mutato alii aliisque musculi a pondere ipsius corporis premantur, vt in eiusdem agitatione & volutatione, vel ab alia re comprimuntur per vices, vt in frictione. Facile autem patet, quid efficiat hæc pressio, nam spiritus in fibrillis nerueis agitantur, & promouentur, humores itidem ob supra dictam rationem velocius mouentur, fibræ autem carneæ & reliquæ simili modo tenduntur. Concussionis a rebus externis factæ effectus idem est, qui superius fuit adductus, vt & situs corporis mutatio ratione partium internarum nihil peculiare a superius dictis habet.

Effectus dicti autem modo minores, modo maiores, sunt ratione ipsius motus diuersi, vnde prout vel vehementis, vel tardus, vel mediocris, vel continuus, vel intermissus, vel alio modo se habens adest, dicta vel magis, vel minus eueniunt, quod vel nobis tacentibus manifestum esse poterit.

## CAPVT II. DE *Motus Corporis Humani Vsu.*

**C**um sanitatis vñice in medicina habeamus rationem, huius quoque intuitu determinari usus exercitatiōnis debet. Sanitas vero vel integra est, vel amis̄a, illa conseruanda, hæc restauranda erit. Vtrumque obtinemus, si & ea, quæ idonea sunt, faciamus, & quæ contraria, omittamus. Primo itaque videbimus, quomodo motus ad sanitatem conseruandam & restituendam sit institu-

DE MOTVS CORPORIS HVMANI NATVRA, VSV ET ABVSV, 13  
stituendus, deinde in sequenti capite ad ea pergemus, quæ  
in motus administratione peccantur.

Sanitatis conseruatio in eo consistit, vt partes spiri-  
tuosæ & fluidæ quantitatem, qualitatem & motum, solidæ  
vero conformatiōnem & vnitatem decentem retineant. Hoc  
vero vt fiat, inter alia quoque motus conueniens p̄fstat.  
Conueniens fit, si proportionem ad corpus mouendum ha-  
beat aptam. Proportiō h̄c ab ipsis effectibus, intra hos-  
ce terminos inclusis a posteriori, quod dicunt, determi-  
natur. Hanc vero euphoria maxime designat, vnde scite  
*Corn. Celsus de Medicina Libr. I. cap. 2. Exercitationis*, inquit,  
plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, que citra defa-  
tigationem sit.

Apriori proportio motus sanitati conueniens defini-  
tur a varia partim motus, partim ipsius corporis mouendi,  
conditione. Ex motus differentiis a quantitate desumptis  
sanitati conseruandæ maxime idoneus est motus mediocris  
*καὶ ξέχην* ita dictus. Spiritus enim & humores inde suf-  
ficienter, non tamen nimis, mouentur, vnde & superfluitates  
remouentur, necessaria tamen quantitas seruatur, agilitas  
& calor autem in statu debito permanent, solidarumque  
partium robur firmatur, ob tensionem proportionatam.

Qualitatis intuitu motus inæqualis sanitati magis con-  
fert. Inæqualitas tamen etiam hic proportionata requi-  
ritur, vt sit inter mediocres tantum motus, minimeque ab  
vno extremo ad alterum subito fiat transitus, quo corpori hu-  
mano nihil perniciosius esse potest. Ad æquales motus perti-  
net motus tonicus dictus, quando vel tensa, vel contracta,  
vel medio in situ pars diu permanet, hic vero, vt & reli-  
qui æquales, qui iisdem musculis & partibus perficiuntur,  
lassitudinem breui infert, quæ tamen terminus motus per-  
ante dicta esse debet, ne fiat nimius. Sine remissione e-  
nim tensæ fibrillæ elaterem debilem reportant, spiritusque

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
 magis debilitant. In inæquali autem motu, cum partim,  
 quies quædam interponatur, partim aliæ aliæque partes mo-  
 ueantur, nec fibrillæ nimis tenduntur, nec spiritus magis,  
 quam par est, defatigantur.

Ratione subiecti motus, quo totum corpus medio-  
 criter cum varietate quadam agitatur, præ reliquis ad sa-  
 nitatis conseruationem est vtilis. Hanc ob causam *Gale-*  
*nus Libro de parue pilæ exercitio* aliique pilæ lusum reliquis  
 præferunt, vt & venationem, si conuenienter instituantur.  
**H**is iungere possumus ambulationem, saltationem & simi-  
 les, mediocritatis terminos non superantes. Tali enim mo-  
 tu omnes corporis partes æqualiter & apte exercentur &  
 roborantur, humores & spiritus in concinna temperie con-  
 seruantur, & secretiones omnes rite peraguntur. Quodsi  
 vero pars hæc vel illa tantum motum sustineat, minor ad  
 reliquum corpus redundat vtilitas, & huius tantum partis  
 robur augetur vel conseruatur.

Sic & motus hominum a se ipsis facti in sanis corpo-  
 ribus meliores sunt iis, qui ab aliis peraguntur rebus. Spi-  
 ritus enim agiliores magis permanent, humores melius  
 promouentur, & partes reliquæ robustiores euadunt.

Ex motus differentiis a fine desumptis ille sanitatem  
 magis conducere videtur, qui vnice eius gratia instituitur,  
 cum sic pro omnibus circumstantiis possit exacte propor-  
 tionatus redi, quod in aliis laboribus, necessariis in primis,  
 non ita accurate obseruare semper licet.

Præter hæc ad ipsius corporis mouendi conditionem,  
 maxime respicere debemus in definiendo apto ad sanitatem  
 conseruandam motu. Corpus mouendum sanum va-  
 riæ adquirit conditionem a rebus & naturalibus & non  
 naturalibus. Naturales res ad nos iam pertinentes sunt  
 temperamentum, ætas, sexus, habitus corporis, vires, &  
 consuetudo.

Tem

Temperamentum cum ab elementorum vitalium sanguinis & feni proportione dependeat, ante omnia in decernendo motu proportionato attendendum est, vt quodlibet in suo vigore conseruetur, nec ad præternaturalem statum transitus fiat. Omnis vero motus nonsolum motum spiritibus & sanguini maiorem conciliando, sed & serum, transpiratione aliisque excretionibus auctis, absumento calorem & siccitatem corporis auget. Facile hinc patet temperamentum calido gaudentes moderato tantum motu egere, ne calor nimis auëtus morbosus fiat. Vnde in his nec calor maior, nec sudor, nec respiratio citatior motum recte sequitur, sed prius, quam hæc appareant, desistendum est. Cum vero calidi simul vel humidi sint, vel siccii, illi paulo maiorem & copiosiorem, intra mediocritatis tamen terminos constitutum, motum ferre possunt, hi vero minimum & parcissimum.

Frigidiores existentes homines, qui vna humidi sunt, motibus vehementibus & velocioribus sufficient, diutiusque eos sustinent, vnde copiose se mouere possunt vtiliter, vt & anhelitus inde mutetur, caloremque percipient, ac sudoris initium. Imo, si copiosius magis serum adest, sudor longior quoque, modo absque lassitudine fiat, minus noxius est. Frigidam sicciam vero temperiem habentes moderato & tardo magis motu vtantur, vt quidem calorem succedentem, minus autem sudorem sentiant, ne & siccitas simul augeatur.

Ætates diuersæ partim ob temperamentum mutatum, partim ob texturam diuersam & alia, alias atque alias motus postulant. Infantes cum teneroris texturæ sint, in principio gestationibus & cunarum agitatione mouentur commode, postmodum vero ambulationibus simul recte vtuntur, proportionatis. Pueri autem & odolescentes labores multos, mediocres tamen, optime sustinent, neque enim inde, licet incalescentia, anhelitus mutatus, sudor, & aliqualis lassitu-

lassitudo succedat, facile ladduntur. Spiritibus enim copioribus & sero abundante gaudent, nec corporis mouendi pondus impedimento est. Iuuenes & viri exercitationibus vehementibus & valentibus ob texturam firmiorem quidem apti sunt præ reliquis, sed tamen, cum & calidi & fisci magis sint, mediocris motus etiam his magis salutaris est, ne & calor augeatur nimis, nec humidum plus, quam par est, dissipetur. In decrementi ætate constituti ob spiritus deficientes & serum vapescens, adeoque siccitatem praesentem, contenti motu remissori & parciori esse debent, vt & spiritus & humidum utile magis conseruentur. Vnde & sudorem a motu vitare eos oportet ac lassitudinem, quorum loco famis sensus pro termino motus suscepti potest sufficere.

Fœminæ, cum frigidiores & seriosiores sint magis, tex-tura autem teneriori gaudeant, a motu valente & multo iuantur. Grauidæ moderate tantum moueri debent, ne infœtum noxa deriuetur. Viris robustioribus existentibus præ fœminis & maiores & velociores motus conueniunt.

Habitu corporis obeso præditi optime se a motu cerebriori habent, qui tamen alias non nimis sit vehemens. Graciliores ob lympham parciorum sanguinemque actiuiorem eligant magis motum remissum & paucum, minimeque eo sudorem facile prouident. Carnosi & quadrati sufficient motui, vehementi etiam, qui tamen immodicus esse haud debet, diutius moueri absque damno possunt, si supra præscriptum terminum communem obseruent.

Quod vero ad vires pertinet, earum maxime habenda est ratio in motu, vt talis tantum instituatur, cui illæ respondent. Validi hinc & vehementius & diutius exerceri possunt, debiles autem paruum imo parcissimum motum poscunt, vt tantum calor sensilis reddatur, sudor vero sequatur nullus. Et quo maior adeat debilitas, eo minor motus, vel plane cessatio a motu potius requiritur. In illis enim

DE MOTVS CORPORIS HVMANI NATVRA, VSV ET ABVSU. 17  
enim spiritus copiosiores præsentes non ita nimis profunduntur, sed facile restituuntur; in his pauciores spiritus dissipantur nimis nec breui reparatio eorundem contingit.

De consuetudine sic statuendum puto, quod consueti motus, quicunque demum sint, melius ferantur, si modum non excedant. Hinc iuxta Hippocratem L. II. de Dieta Cap. XLIV. Homines inexercitati ab omni labore laffantur, nulla enim corporis pars exercitata est ad ullum aliquem laborem. Corpora autem exercitata ab insuetis laboribus delassantur. Aliqua vero etiam a consuetis exercitiis laffantur, si modum excesserint. Quod si igitur inassueti moueri debeant, parce, remisse & successiue mouendi sunt, & pedetentim motus augendus, ut sic ad gradum debitum tuto perueniant. Per plures dies hinc debilis in his motus continuandus, quem successiue fortior paulo excipiat.

Considerata sic varia corporis mouendi conditione, quæ a naturalibus dependet rebus, & motus applicationem variat, supereft ea, quæ a rebus, non naturalibus dictis, prouenit, & ad motus proportionem determinandam facit. In his primum locum obtinet aer, qui corpus semper ambiens ratione vel sui motus vel contentorum varie afficit. Motus aeris est vel intestinus, vel progressiuus, intestinus præsens est calor eiusdem, deficiens frigus. Calidus aer corpus calefacit & siccatur, idem vero cum motus præstet, minime hic in aere calido instituitur commode, nisi ipsum corpus sit temperamenti frigidi, ubi tamen motus tantum moderandus, in quantum aer est calidior. Frigidus aer refrigerat, constringit, figit, coagulat, constipat, adeoque ad motum sanitatis causa institutum non ita aptus est, quoniam mediocris motus calorem excitare debitum nequit, resistente aere circumstante & inspirato; fortior autem frigus ob agitationem aeris & mutationem maiorem auget, adeoque finis motus haud obtinetur. Porro hu-

C

mores

mores & partes recrementitiae, si agitantur, non tamen excerni & dissipari queant, & motum peregrinum facile suscipiunt, & stasim concipiunt noxiā. Medio modo itaque se habens aer, seu temperatus existens, omnium ad exercitationem est optimus, quam ob causam etiam verno tempore meridiana, æstatis vero matutina hora ad motum eiusmodi commendatur.

Quodsi aer temperatus in se non sit, talis commode redditur arte, si hiemali tempore in tali domo suscipiatur motus, quæ ad meridiem sita vel solis radiis, vel ignis beneficio, quemcunque situm habeat, attemperatur. Æstiuo autem tempore locus a solis radiis auersus vel defensus calorem nimium etiam minuit & ad mediocritatem reducit. Quanquam vero aer, in quo corpus moueri debet, sic satis correctionem recipiat, minime tamen publicus totius urbis aer huic subiectus est emendationi. Adeoque corpora ab illo affecta varie se habent ad motum, ut & post motum haud cuiuslibet aeris admissio est utilis. Calidior hinc aer diutius durans, ut in æstate, corpora magis siccatur & calescit, quæ corporis mutatio non statim in autumno ad pristinum statum redit, sed successiue. Ita & frigidior diutius ita permanens, ut in hieme, poros cutis stringendo humores superfluos auger, & sic calorem obtundit, quæ alteratio verno tempore non simul ac semel, sed pedetentim cedit. Ergo ita alterato corpore hieme & vere plures labores, æstate & autumno parciores conueniunt, cum ibi facile nimia accumulatio, hic nimia dissipatio fieret, si contrario modo institueretur.

Post motum, fortiorē in primis, aeris frigidioris admisso concedenda non est, sed potius temperatus vel ad calorem paulo inclinans sit, ne humores nimis agitati statim coagulentur, & inconuenienti in loco subsistant, vel superfluitates, quæ adhuc educuntur, reprimantur & sanguinem conspurcent.

Aeris

Aeris motus progressiuus est vel vehementior vel blandior, ille venti nomine insignitur, hic si adfit, aer liberior salutatur. Venti eandem vim, quam aer frigidus, habent, ideo motus in aere ventoso non est instituendus, sed in tranquillo potius, vnde si totus regionis aer in tali motu sit, tali in loco mouendum est corpus, qui a ventorum accessu magis liber existit. Nullus equidem sic ventus ad exercitationem est idoneus, magis tamen noxius est nimis frigidus, nimisque humidus. Eurus hinc & Boreas salubriores Fauonio & Austro iudicantur, vnde & loca ad septentrionem & orientem posita magis apta ad hunc motum, habentur.

Liberior aer motu blando & ventilatione gaudens salubrior est inclusio, qui quietus & torpidus a statu suo desciscit. Ille igitur exercitationi etiam aptior est. Cum vero aer liberior reddatur a ventis salubribus, & solis radiis moderate accendentibus, locus exercitationis ad septentrionem & orientem positus reliquias præfertur, & si in domo ob aeris inclem tam debeat institui, eligatur conclave aptum situm habens, & quam maxime & altum & lucidum & spaciosum.

Præter motum etiam contentis suis vel ordinariis vel extraordinariis aer corpora afficit humana. Ordinaria contenta sunt particulæ vuidæ, aqueæ, quæ parcissimæ ad aerem proportionatum requiruntur, ut & serenus lucidus ac temperatus permaneat, & hic ad motum sanitatis causa instituendum est maxime conueniens. Si autem hæc nimis vel plane deficiant, nimis siccus aer euadit motui, itidem siccanti, minus proportionatis; vel exténdant, humidus aer fit, qui pro diuersa excessus proportione crassus, densus, nebulosus, obscurus redditur, & prohibet exercitationem, cum etiam quieto corpori fatigans noxius sit. Extraordinaria contenta effluvia sunt e corporibus aliis, innatim A.

## DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

matis potissimum in aerem abeuntia, vt ex aquis stagnantibus, palustribus, metalli fodinis, & similibus, quæ, vt alias noxia, ita magis adhuc corpori in motu maiori constituto officiunt, vnde loca eiusmodi maxime vitare oportet, respiratione enim per motum citatiore facta copiosius adhuc corpori inferuntur, aliaque damna præstant.

Cibus & potus dum corpus humanum & quantitate & alias varie disponit, etiam motus aliam atque aliam proportionem poscit. Abstinentia motui plane contraria est, cum eni<sup>m</sup> partes absumptæ non solum non restituantur, sed & per suscep<sup>tum</sup> motum adhuc magis minuantur, vt machina corporea inde lœdatur, necesse est. Hinc *Hippocrates II. Aphor. XVI.* *vbi fames, inquit, laborandum non est.* Exiguæ alimentorum quantitati motus paucus, copiosiori multus respondere debet, vt ibi humores necessarii conseruentur, hic vero superflui tollantur. Difficilioris concoctionis cibi motum fortiorem postulant, vt calore & aetiuitate menstrui auctis dissoluantur, digerantur, & in succum ac sanguinem transmutentur. Cibum motus recte præcedit, vt & recrementa facilis excernantur, humores boni probe distribuantur, fermentum & calor ventriculi roborentur. Minime tamen immediate post motum, in primis fortiorem, alimenta ingerantur, cum partes cibi nondum sufficienter resoluti & immutati ad massam sanguineam propellantur, intempestive. Idem dictum esto de motu post cibum statim facto, hic enim fortior existens sanitati inimicus existit, adeoque omittendus.

Maxime vero potus post motum fortiorem frigidus absit, ne & circulus sanguinis impediatur, & coagulum humoribus & spiritibus inducatur. Quod tamen vitium aliquando superatur, si post talem potum statim exercitatio illa continuetur, cum partes in coagulum abituræ, eodem motu continuato, iterum resoluantur.

AN SITA

S 3

A motu

A motu corporis ipso quoque hoc ad aliud motum absque damno præstandum disponitur, alias enim impropotionatus redderetur. Quibus hinc fortior paulo motus prodest, vel necessarius est, non statim ab hoc faciant initium, sed primo lenius moueantur & successiue ad utilem sibi gradum accedant, quod etiam de subsequente quiete valet, ad quam a maiori motu minime subito, sed intermedio successiue remittente, progredi conuenit.

Somno qui indulgent, copiosiori etiam egent motu, ut spiritus torpidiores serenentur, humores accumulati minuantur, & in motum apte citentur. Vigiliis vero similem effectum in siccando & dissipando humidum habentibus, motus notabilis addendus non est, sed potius eas quies excipiat debita. Alias enim corpus non conseruaretur, sed ad interitum rueret. Post somnum corpus melius exercetur, robur tunc ob quietem prægressam maius habens, unde matutinæ horæ motui aptiores, post somnum & ante cibum existentes, habentur.

Animi pathemata vehementiora corpori mouendo apta non sunt, motus enim spiritus exagitatos vterius agitando nimis dissipat & debiles reddit, nimisque corpus siccatur. Moderata autem nullum alias conuenientem motum prohibit.

Excretorum etiam in motu suscipiendo habenda est ratio, in primis viis enim hærentia ante motum debent expelli per vias sibi destinatas, quæ alias motu fortiori in sanguinem ex parte raperentur. Imo etiam reliqua crassiora remotionem sui, priusquam motus fiat, postulant, ut spatium sic concedatur, quorū secernenda ex sanguine, sub exercitatione commode abeant, cum omnes secretiones motu promoueantur. Post motum etiam sudorem cum vestimentis inde madefactis remouere conuenit, quorum loco siccata & tepida induantur, ne perspiratio sudore frige facta

porosque constringente impediatur, sed successiue decrescat, donec ad ordinarium suum gradum peruererit.

Motus ita secundum omnes circumstantias proportionatus redditus spiritus, productionem eorum promouendo, conseruat, serenat, agiles & muniis suis aptos reddit, humorum vitalium temperiem custodit, quæ eorundem circulum, secretiones & excretiones proportionatas, semper sequitur: solidas vero molles blanda & concinna tensione & remissione roborat, poros earundem & meatus liberos seruat. His autem bene constitutis actiones naturales, vitales & animales, vt bene se habeant, necesse est, quæ vt hic prolixius explicemus, opus esse non videtur.

Vt vero motus sanitatem presentem conseruat, ita etiam ad amissam restituendam facit, si recte adhibetur. Per superius dicta spiritus in morum citat agilesque reddit, prodest itaque in omnibus affectibus, vbi spiritus torpidiores sunt, vt in malis somnolentis, apoplexia, paralysi, & similibus. Circulum sanguinis promouendo, calorem eius augendo, & humidum absumendo, imtemperiei frigidæ & humidæ conuenit corrigendæ, adeoque & inde proueniensibus cachexiæ, tumoribus oedematosis, inappetentiæ &c. succurrit. Secretionem & excretionem partium recrementosarum iuuando, & viscerum tonum roborando utlis est in obstructionibus viscerum, mensium, morbis tartareis, scorbuto, frigido in primis, malo hypochondriaco, scabie & huius modi. Ad specialiora hæc facile applicari possunt, quæ, quia magis ad curam morborum speciale pertinet, iam omittimus. Non solum autem superius dicta etiam hic obseruanda sunt probe, sed & reliquæ circumstantiæ accurate & prudenter pensitandæ, ne plura prohibentia, quam admittentia motum, adsint, nec improportionatus etiam his euadat.

CAPUT

eolog

E 3

CAPVT III.

DE

*Abusu Motus Corporis Humanī.*

Um rectum sit index sui obliqui, abusus ex dictis satis constare posset, quacunque enim ratione proportio motus ad corpus humanum turbetur, dampnum, & hinc abusus praesto est, hunc tamen, ut evidentior fiat, paucis adhuc lustrabimus. Turbatur autem proportio hæc, si motus vel deficiat vel excedat. Si deficiat, spiritus inde redduntur torpidi, humores crassi, lenti, copiosi euadunt, calor vero & circulatio sanguinis imminuitur, cruditates fiunt variae, recrementa viscida, tartarea, salina, retinentur, & augmentur, viscera robur & elaterem suum amittunt, corpusque ipsum torpidum efficitur. Quæ mala inde nascantur ulterius, cogitari facile potest, quæ tamen insingulis non eadem reperiuntur, cum & hic effectus pro conditione corporis ratione ætatis, temperamenti, sexus &c. variet.

Excedens motus spiritus nimis rarefacit & diffat, vnde eorundem motum magis, quam par est, auget, quantitatem autem minuit, adeoque debilitatem inducit. Humoribus velociorem motum conciliando, calorem & rarefactionem maiorem reddit, vnde febres, inflammations, hæmorrhagiæ, menses nimii, hæmoptysis, & huius generis alia, eum sequuntur. Dum autem humores nimis rarefiunt, humidum magis diffatur & intemperies sicca inducitur, hinc in pueris, si ultra modum exerceantur, auctio inde labefactatur. Fibræ quoque in motu corporis excēdente

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
dente tenduntur nimis, tum muscularum mouentium, vnde lassitudo & debilitas maior consurgit, maxime si tonicus motus sit nimiustum partium continentium, in primis peritonæi, & connectentium, vnde herniæ, procidentiæ, & in grauidis abortus, vbi tam tensio fibrarum uteri maior, quam rarefactio sanguinis concurrit, oriuntur.

Promptius hæc euenire solent, si corporis status simul magis ad malum eiusmodi aptus est. Temperamento enim calido gaudentes facilius a motu nimio lèduntur, vt superius diæta & alia reportent, vti & sicciores facilius in intemperiem sicciam incident. Pueri & infantes tenerorem fibrarum texturam habentes hernia facilius afficiuntur, quam robustiores. Debiliores citius & vehementius debilitantur a motu excedente, quam reliqui. Minus assueti magis lèduntur a motus excessu, quam, qui crebrius motu paulo fortiori vtuntur.

Idem sentiendum est de rebus nonnaturalibus reliquis, quæ simul corpus affiendo motus damna variant vel augment. Aer calidior motui nimio iunctus efferationem caloris, & difflationem lymphæ maiorem præstat, vnde sic motus vehementius affligit. Hoc adhuc magis augetur, si simul nimis siccus sit squalidum per se corpus reddens. In frigido humido nimis aere factus motus excedens febres & inflammationes promptius producit, cum ob frigus poros stringens sanguis facilius stasin concipiatur in parte quadam, & recrementa fermentifica non diffinentur, sed agitata massæ sanguineæ iterum commisceantur, vnde calor fit fortior. Ita post motum nimium frigidus aer admissus partim eadem præstat, partim obstructiones, dolores, phthisin, hydropem efficit, partibus solutis & nimis agitatis coagulum subito inducens, quæ ad hanc vel illam partem propulsæ subsistunt.

Cibo assumpto motus fortior suscepitus, moram ad resolutionem & immutationem conuenientem haud concedens

DE MOTVS CORPORIS HVMANI NATVRA, VSV ET ABVSV, 25  
dens, crudiorem chylum in vasa propellit, vnde & sanguis  
inde impurior redditur, hinc scabies, hydrops aliaque se-  
quuntur, si crebrius & diutius id fiat. Potus a motu for-  
tiori frigidus ingestus eadem ratione, ac aer frigidus admis-  
sus, nocet, magisque præter dicta partibus vicinis pulmo-  
ribus & hepatis vitium afficit. Vigiliis iunctus motus  
naturalis, vt in lucubrationibus videmus, noxam adfert,  
multo magis autem fortior, calorem, siccitatem & debili-  
tatem augendo. Et sic in reliquis quoque circumstantiæ  
motus, etiam nimii, effectum varie moderantur.

Quod si vero in sano corpore hoc fiat, quid in ægro  
eueniat, facile coniectura potest deprehendi. In morbis  
intemperiei calidæ enim vniuersalis, ac particularis, febribus  
potissimum & inflammationibus partium nobiliorum, non  
tantum motus fortior est noxius, sed mediocris quoque  
nimius & improportionatus est, quietem enim magis re-  
quirunt. Potissimum in febribus continuis, sæpius mali-  
gnis existentibus, id obseruandum est, in quibus ægri debili-  
tatem in principio leuiorem sentientes decumbere nolunt,  
sed motu, blandiori licet, & aeris liberioris admissione,  
febris vehementiam magis augent, & periculum vitæ sub-  
eunt maius. Contrarius & noxius quoque motus, fortior  
in primis, est intemperiei siccæ, quæ adhuc magis inde au-  
getur. Conformatioñis vitia, tam quæ alias a motu pro-  
duci possunt, minime eum admittunt, vt herniæ, prociden-  
tiæ, apertio vasorum sanguiferorum, in hemorrhagiis qui-  
busuis, quam quæ inde peiora redduntur, vti fortior mo-  
tus obstructionem in asthmate auget, calculum quietum  
existentem promouet, fortiorēque obstructionem seu i-  
schuriā efficere valet. Unitatis solutæ vitia motum iti-  
dem, fortiorē in primis, minus admittunt, minime eum,,  
qui lœsam partem seorsim afficit, coalitus enim fibrarum,,  
quietem maxime postulat.

D

Ex

Ex symptomatibus motum haud ferunt dolores grauiores quicunque, externi & interni, cum & rarefactionem humorum & ipsam tensionem fibrillarum maiorem reddat. Nec quoque fluxionibus est utilis, secretiones enim & motum humorum augendo eas quoque deteriores facit. Par ratio est reliquorum a defectu & debilitate spirituum dependentium, aliorumque ex dictis sponte fluentium.

F I N I S.

---

**M**otus, qui potis est hominis seruare salutem,  
Illa, quam calles, promouet arte Tuam.

*Nobilissimo Dn. Doctorando faustæ  
gratulationis caussa scripsit*

P R A E S E S.

---

**S**o muß ein Musen-Sohn zu hohen Ehren steigen/  
Wann Er durch seinen Fleiß sich selbst darzu wil neigen/  
Dann Er Herr Better hat vor diesem nicht bedacht/  
Daß Er noch mit der Zeit werd' Doctorand geacht.  
Die Gütigkeit des Glücks muß man vor allen weisen  
Und auch zugleich vielmehr die Güte GÖTTE'S preisen/  
Daß Ihm derselben Krafft nun das gegeben hat/  
Daß Er als Medicus nun schafft dem Krancken Rath.

Dieses Wenige setzte seinen Lieb  
und Werthgehrtesten Herrn Bet-  
ter zu dessen promotion glück-  
wünschend bei

PETRVS JVSTINVS MAY,  
Med. Licentiatus.

\* ( 27 ) \*

*Virum Prænobilissimum atque Experientissimum*

**JOH. CHRISTOPH. SIEGERIDVM**

*Salutaris scientia Doctorandum dignissimum.*  
de

**MOTVS CORPORIS NATVRÆ VSV ET ABVSV**

publice in Academia Salana disputantem, faustis  
omnibus prosequitur

**M. GEORG. BALTHASAR REICHARD.**

**VIR**

*prænobilissime atque Experientissime*

**R**iminis ad instar esset habendum, si inter plerosque pietate erga Te & votis certantes, mea unice officia vellem desiderari, nec potius iisdem respondere conarer, quæ cumulatissima hucusque sum expertus. Lætissimis itaque honorum insignia, quæ Tibi imminent, prosequor omnibus, precorque, ut huic Academico nomini & numero uberior dignitas paulo post succedat. Nisi verecundæ Tuæ modestiæ, quæ proprias virtutes ægerrime legit, sollicita esset ratio habenda; difficile haud foret quam plurima, quæ laudi Tibi ducuntur, adducere; sed cohibebis paululum pudorem, eaque admittes quæ veritas ipsi Tibi decernit. Acce Tibi a natura ingenium contigit, quo pariter ac usu in felicissima bonæ mentis officina Reipublicæ, in qua de summa salutis & viuæ nostræ decernitur, Te præparasti. Summos Viros, qui clauem nostris temporibus, regni salutaris moderantur, diligentissime es sequutus, mul-

D 2

tumus

\* ( 28 ) \*

tumque per hosce profecisse semel iterumque gloriose iacti-  
tasti. Inculpatam vitæ sanctimoniam cum patre sanctissimo quondam Viro sacerdote communem habes, quam ita tenaciter excolendam suscips, ut nisi Te studiorum rationes distinguerent, religio Te sacri ordinis viris adscriberet. Quid igitur mirum, rerum tuarum eventum Te adeo felicem nactum etsi ut gloria nunc atque honorebus Te ornatum sentias? quid rebus ita comparatis inconsueti, grauiissima quoque argumenta Candidato Tibi in publica exploratione expeditissima & solutissima esse visa? In Cathedra tandem publica auspicalem Tuam disputationem defendantem Te pulcherrime stetisse, quid mirandum? Age igitur, porro fortiter agas, quæ nova Tibi ornamenta non tam suadent quam prorsus præcipiunt. Patriæ tuæ quendam Chironem sistas, sis præsto ægrotantibus, nec minus auxilium; quam salutem laborantibus adferas. Vale, Vir Exprentissime, meque Tuæ benevolentia, uti facis, & in posterum habe commendum.

dabam Jenæ d. 16. Febr.

1715.

---

**D**ie Vena läßt nicht zu von Meynen viel zuschwäch'en/  
Deswegen wil ich auch zum Ruhme dies nur sezen/  
Herr Siegfrieds Treu und Fleiß wird jezo recht bekant  
Nun müße Sieg und Fried bekrönen seinen Stand.

Mit diesen wenigen wollte aus aufrichtiger Freundschaft seine gratulation ablegen

GEORG. ERNESTVS Franc. L. L. Cu

Di aut 172, 28